



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCXL. Novitius praetextatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

dem nobis spem in posterum facit? Atque ego, Athenienses, eo tempore, quo recipi istos placebat, contradicturus fui: nisi quod poterat honestum ex his receptis exemplum fieri. Sunt igitur digni poena aliqua, sunt ignominia, si hoc tantum ad ipsos referatur. Sed redeo ad publicam utilitatem. Nihil esse, quo magis disciplina militaris confirmari posset, Athenienses, quam exemplum adversus indignos, nemo dubitavit. Quæ enim spes in bellis in milite nostro residua est, si nihil potius fuerit quam capi? Certum habeo nunc istos male sentire de his, qui in acie ceciderunt.

CCCXL.

Novitius pretextatus.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Mango novitium puerum per publicanos trajecit pretextatum: dicitur ille liber.

DECLAMATIO.

QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT, LIBER SIT. Quærendum est nobis, quid sit in libertate esse: voluntate domini est in libertate quo volente liber est. Nos finimus ita: voluntate domini in libertate est, qui jus libertatis usurpavit domino volente. Id primum scripto ipso colligemus. Non enim difficile fuit ei, qui hanc legem componebat, id scribere: QUI VOLUNTATE DOMINI LIBER FUIT. Nunc hoc scribendo, QUI IN LIBERTATE FUERIT, satis ostendit aliud esse, in libertate esse: aliud liberum esse. Excutiamus etiam causas legis hujus. Indignum putavit legumlator eum, qui in fortuna aliqua reipublicæ, qui in numero civitatis fuisset, redigere in servitutem. Sed hoc quoniam sibi nequitia interim afferebat, adjecit, ut hi

1 Nemo dubitavit.] Lege, dubitabit.
2 Per publica rostra jecit.] Lego, per publicanos trajecit. Pithœus.

3 Qui hanc legem componebat, id scribere.] Potius, ita scribere. Gronovius.

ut hi liberi essent : qui in libertate VOLUNTATE DOMINI fuissent. Vis scire, quanto aliud sit in libertate esse, aliud liberum esse? Eum, qui in libertate fuerit, jubet lex liberum esse. Tanta rerum differentia est in causis libertatis. In libertate est igitur, quisquis caret forma servitutis: id iudices, ex hac ipsa lege manifestum est. Non enim legumlator putavit etiam eos, qui à dominis fuga abessent, esse in libertate, quod colligo scripto ejus, QUI VOLUNTATE DOMINI IN LIBERTATE FUERIT. Apparet aliquos & non voluntate domini in libertate esse: quod si verum est, potest in libertate esse, etiam, qui liber non est. Nihil ergo prodest tibi, cum dicis, liberum eum non fuisse. Non enim quæritur, an voluntate tua liber fuerit: sed an voluntate tua in libertate fuerit. ¹ Si voluntate tua liber non fuisset, quid nos postularemus? Depulsus hac pugna transcendit eo, ² ut neget liberum tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus eum, qui in libertate est, quibus argumentis colligemus esse in libertate? Signavit aliquis tanquam liber: si id voluntate domini fecerit, etiam si maxime illum servum esse dominus voluit eo tempore, manifestum erit in libertate: sic quisquis aliquid pro libero facit. Atqui hic puer non tantum pro libero, sed etiam pro ingenuo est, prætextatus fuit. Si talem illum ad iudices perduxissem, hoc insigne non tantum libertatis modo, sed etiam dignitatis esset: equidem paves, ne scelus feceris. Et alius fortasse tantum usurpaverit libertatem, hic & approbavit. Quibus? ³ Publicanis hominibus (ut parcissime dicam) diligentissimis.

In sum-

¹ Si voluntate tua liber non fuisset.]
 Aradius: liber, non in libertate fuisset.
 Ego nihil aliud quam particulam negantem deleo. Idem.

² Ut neget liberum tunc saltem fuisse.]
 Forte: ut neget in libertate tunc saltem fuisse. Quomodo igitur colligemus eum, qui in prætexta est, quibus argumentis colligemus esse in libertate? Idem.

³ Unus è Publicanis hominibus.] Hic novitius puer non hoc loco liber est, quod ut quilibet alius libertatem usurpavit, & in libertate fuit volente domino, dum ab eo in foro prætextatus est: sed hoc ipsum ut liber sit & ingenuus, unus è publicanis diligentissimus, cum apud eum professio fieret, id approbavit, cujus alioqui intererat ingenuum

In summa velim ostendere totum tuum comitatum, quis habitus servorum fuit. ¹ Ego tamen, inquit, non ea voluntate feci, ut hic liber esset, sed ea, ut publica non solveret. Sæpius eadem dicenda sunt: etiam gratulamur, si invito te liber est. Liberum esse noluiisti, sed in libertate esse voluisti, nihil interest, qua causa hoc feceris: id est, (ut propius ad verba legis accedam) nihil interest, qua causa in libertate esse eum volueris. Verum ista causa, quam præ tendis, digna pœna est. Circumscribere vectigalia populi Romani voluisti, specie prætextati imponere publicano voluisti. Postmodum dicam quantum interfit hujus pueri: interim dicam, tua quid interest? ² quod petieras, non contigit tibi, non fefellisti.

S E R M O.

Hæc circa jus: illa jam circa æquitatem.

D E C L A M A T I O.

Quæ passurus est hic puer domino redditus, sine dubio novimus, istam negotiationem, & frequentissima in foro videmus judicia talium injuriarum. Fortasse etiam natus est ingenuus: fortasse raptus ex aliquo litore prætextam fortuna

ingenuum non esse: quia servi veneunt, non liberi homines, nec ejus rei quæ in commercio non est, vectigal solvitur. Igitur hic puer & voluntate domini, & præjudicio Publicanorum liber est. Quæ ad hanc declamationem ex jure nostro pertinent vulgaria sunt. Vide Justinian. tit. de latina liber. tollen. tit. Communia de successio. Ulpianum tit. de libertinis. de prætexta, Budæum ad l. ult. ff. de senato. ad l. sed si rogæ. ff. de jure fisci. Novitorum quoque ut variæ sunt causæ, varia appellatio est: si à mangone aut venalitario veneant, aliter definitur. l. præcipiunt. ff. de ædil. edict. si à non negotiatore, ut quisque eum destinatum habet. l. ult. ff. eod. tit. aliter si apud Publicanos eum quis profiteatur. l. interdum. §. quoties. ff. de publica. sunt igitur leges illæ non contrariæ,

sed diversæ. *Ærodius.*

¹ Ego tamen (inquit) non ea voluntate feci.] Paulus l. 17. ff. Qui & à quibus. Non fit liber, si mentitus dominus, ne à Magistratu castigaretur, dixit esse liberum: non enim fuit voluntas manumittendi. Publicum autem pro vectigali accipi, nimis tritum est & apud Ciceronem & apud nostros Jurisconsultos. Cicero ad Quintum fratrem, & 6. Parad. Ulpian. l. 1. ff. de publica. l. ut in conductionibus. ff. pro socio. l. miles ex quib. cau. major. l. fideicommissa. §. interdum de legat. lib. 2. *Idem.*

² Quod petieras, non contigit tibi, non fefellisti.] Contrarium vult acerbâ ironia. *Tua quid interest? quod petieras, contigit tibi. fefellisti.* Id agebas, ut fraudares publicanos. hoc contigit tibi, eos fefellisti. *Gronovius.*

fortuna reddidit. Illud est tamen, quod nos magis confundat: videtur mangoni puer preciosus: timuit, ne magno æstimaretur. Ista species in quacunque servitute miserabilis foret. Rogamus vos, judicetis, quam multa facere possit adversus puerum mango iratus: aut illi fortasse precium excisa virilitate producet: aut ob infelicis contumeliæ annos venibit in aliquod lupanar. Res est nobis cum homine, qui non erubescit: nihil reservat: etiam periculose avarus est: quos cultus accipiet, qui prætextam habuit? Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum prætextatum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem.

CCCXLI.

Res furtiva improfessa apud publicanos.

QUOD QUIS PER PUBLICANOS IMPROFESSUM TRANSTULERIT, COMMISSUM SIT. Quidam rem furtivam transtulit per publicanos, non professus est: deprehensa res est. Publicani cum domino contendunt, illi tanquam commissam rem vendicant: ille tanquam suam.

DECLAMATIO.

REM non professam apud nos tenemus. Hoc jus quale sit, postea videbimus. Quod quis professus non est apud

1 *Non professus est.*] Hæc verba potest aliquis, non auctoris sed interpretis, putare. Nam ipsum illud, *trajecisse, transtulisse per publicanos*, est non professum esse. Sic & Decl. 359. *Publicanus noluit scrutari. Translatis manum iniecit.* Gronovius.

2 *Illi tanquam commissam rem vendicant.*] Quæ hic pro Publicanis dicuntur, probabiliter & oratorie dicuntur. Cæterum alio jure utimur, vel si res furtiva non sit. Nam iniquum est, dominum re sua privati, absque facto & culpa sua. Paulus tit. de publica. Dominus navis (inquit) si illicite aliquid in nave, vel ipse, vel vectores imposuerint, navis

quoque filco vindicatur. Quod si absente domino id à magistro vel gubernatore, aut proreta nautave aliquo factum sit, ipsi quidem capite puniuntur commissis mercibus, navis autem domino restituitur. Idem à Justiniano rescriptum est constitutio. 131. §. si quis domi lux. à Constantino. C. de falsa moneta. ab Accursio notarum ad l. 2. C. de navibus non excusan. Causarum tamen & criminum habenda aliqua ratio est. Sed ubi res non professæ, alio item vitio laborat, puta, furtiva est, aut servus fugitivus est, nulla jam dubitatio est, rem domino auferri non posse. Nam ex lege xii. Rei furtiva perpetua est auctoritas,